



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. VII. De Effectibus Censuræ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

ARTICULUS VII.

De Effectibus Censuræ.

- I. Duplex est Censuræ effectus; alter Remotus, & extrinsecus, qui est Rei emendatio; alter Proximus, & intrinsecus, qui est privare hominem quibusdam bonis spiritualibus, ac temporalibus.
- II. Ante Judicis sententiam privatur iis bonis etiam excommunicatus toleratus; Cujus acta juridica ideo sunt valida, quia in bonum publicum Ecclesia supplet defectum jurisdictionis, qua ille caret.
- III. Irrevocabilis censura in aliqua Diocesi ubique Gentium privatur iis bonis; nec aliter quam per absolutionem in integrum restituitur.
- IV. Appellatio non suspendit effectus censuræ jam lata; nisi hac lata sit sub conditione, & interim appellatur.
- V. Potest Pontifex, non tamen Episcopus in effectibus censuræ dispensare. Num possit Episcopus dispensare, ut valide retineatur Beneficium collatum tempore Excommunicationis?

I. **Q**uæritur primo; Quinam sint censuræ effectus?

Respondeo, effectum censuræ coincidere cum ejusdem fine: qui duplex est, Alter proximus, & intrinsecus, Alter remotus, & extrinsecus. Effectus, seu finis remotus nihil aliud est, quam fructus bonus, quem intendit ferens censuram; Hic tamen fructus vel est spiritualis, videlicet observantia Ecclesiastica disciplinæ, & emendatio peccatoris, juxta illud 1. ad Corinth. 5. *Ut tandem spiritus ejus salvus fiat in die Domini*; vel est temporalis, videlicet restitutio rei temporalis, aut reparatio damni, quod il-

latum est innocenti; nam ex Trident. sess. 24. cap. 3. potest quis excommunicari, nisi restituat temporale. Effectus censuræ intrinsecus, & proximus est privare censuratum aliquibus bonis spiritualibus, & etiam temporalibus, quatenus spiritualibus sunt annexa, ut constat tum ex definitione censuræ, tum inductione; nam excommunicatio privat tam participatione Sacramentorum, quam communione fidelium, quorum primum est spirituale, secundum temporale: Suspendio ab officio privat usu officii tam Ordinis, quam jurisdictionis spiritualis; & quia beneficium datur propter officium, privat etiam jure percipiendi fructus a beneficio Ecclesiastico. Interdictum privat divinis officiis, & privat etiam ex *Suar. contra Sanch. Con.*, & alios apud *Busemb. jure contrahendi licite matrimonium*; Quare omnes censuræ bonis spiritualibus simul, & temporalibus privant.

II. His explicatis, certum est primo, quod reus censuram incurrens privetur statim ante Judicis sententiam spiritualium rerum usu, & statim obligetur ad carendum temporalibus bonis enumeratis: Verbi gratia, excommunicatus obligatur non communicare cum aliis, suspensus non celebrare, &c. Communiter enim receptum est illud Juris proloquium, *Censura lata per se fert executionem*, ex *Cap. Pastoralis, de Appellat.*; Et ratio est, quia cum censuræ sint pœnæ spirituales, nullam ad executionem sui executionis actionem exigunt. Quare excommunicatus, licet toleratus, non potest licite missam audire, verbi gratia, nisi excuset ignorantia, aut necessitas vitandi scandalum, &c. Nec potest excommunicatus, aut suspensus a beneficio, juxta probabiliorem opinionem, facere suos fructus beneficii, etiamsi nulla præcesserit sententia Judicis, & etiamsi præstet officium,

& onus, propter quod datur beneficium. Denunciatio itaque censurae non deseruit, ut reus obligetur servare leges censurati, sed solum ne alii possint cum eo agere, recipere ab eodem Sacramenta, &c., ut habetur in Extravag. Mart. V. apud Leand. disp. 2. quaest. 4.

Neque dicas; excommunicatus occultus, & toleratus non privatur iurisdictione, cum ex leg. *Barbarius*, ff. de off. Praetoris valida sint ejus acta; ergo falsum est, quod effectus censurae statim ante Judicis sententiam incurrantur.

Nam, ut bene Suar. disp. 6. sect. 2., etiam excommunicatus occultus, & toleratus privatur habitualiter iurisdictione ante sententiam judicis, & solum Ecclesia propter bonum publicum supplet in eo defectum iurisdictionis.

III. Certum est secundo, effectus censurae perseverare, donec per absolutionem tollantur, ut dicemus art. seq., & ideo dici solent perpetui, non quidem positive, sed negative, quatenus non habent tempus suae durationis definitum, sed perpetuo perseverant, donec reus a censura absolvetur.

Certum est tertio, quod etiam censuratus a Praelato Inferiori ubique terrarum privetur usu spiritualium, ut docent communiter contra Scotum; cujus sententiam Sotus apud Leand. disp. 2. quaest. 5. vocat novam, & inauditam. Et ratio est, quia dum excommunicatur, verbi gratia, Petrus ab Episcopo Neapolitano, non obligat Episcopus reliquos Christianifideles, ne pro eo orent, sed obligat illos jus commune, quod ad omnes pertinet, & a quo praecipitur, ne quis cum excommunicatis communicet; ut constat ex can. 5. Concilii Niceni; ubi dicitur: *Servetur ista sententia, ut si qui ab aliis excom-*

municantur, ab aliis ad communionem non recipiantur.

IV. Quaeritur secundo; An possint aliquando suspendi, seu impediri effectus censurae jam latae, aut per appellationem, aut per dispensationem Papae, vel Episcopi ferentis censuram?

Respondeo, per appellationem nullatenus impediri, ut supra diximus ex *Cap. Pastoralis, de Appellat.*, quia censura lata secum trahit executionem; quare cum appellatio non tollat censuram, nec tollere potest executionem, seu effectus censurae: Secus dicendum, si censura sit lata sub conditione; etenim antequam purificetur conditio, potest per legitimam appellationem suspendi censura, & sic etiam effectus censurae, ut supra etiam diximus, & communiter docent cum Suar. disp. 6. sect. 4., Leand. quaest. 6. Et ratio a priori est, quia censura lata sub conditione non dicitur perfecta, nec absolute, & simpliciter sententia.

V. Per dispensationem vero Pontificis possunt effectus censurae suspendi, quatenus possunt licite exerceri, quae ratione censurae sunt prohibita; Et ratio est manifesta, quia Pontifex potest dispensare in iis, quae tantum jure humano prohibita sunt, ut sunt actus, qui per censuram prohibentur: Et de facto dispensavit aliquando Pontifex in aliquibus censurae effectibus; nam per Extravagantem Martini V. datur facultas communicandi cum excommunicatis toleratis, quod jure antiquo erat prohibitum.

Episcopus tamen nullatenus dispensare potest in effectibus censurae; etiam si ab ipso sit lata, & ipsimet reservata, ut communiter docent Doctores contra nonnullos Canonistas; Et ratio est, quia Episcopus non potest in jure communi dispensare, nisi quando in ipso jure hoc illi conceditur, aut aliqua recepta consuetudine.

ne, & traditione, ut colligitur ex *cap. Dilectus, de temporibus Ordination.*, Atqui effectus censuræ jure communi decernuntur, & Episcopis nec jure communi, nec consuetudine conceditur ut possint in iis dispensare; ergo nunquam possunt per dispensationem impedire effectus censuræ; Unde fit, non posse Episcopum dispensare, ut excommunicatus, verbi gratia, valide beneficium recipiat: Pos-

set solum dispensare, ut excommunicatus post absolutionem retineat valide beneficium collatum tempore excommunicationis; quia hoc videtur Episcopo concedi in *Cap. Postulastis, de Clerico excommunicato ministrante*; Quamvis de hoc dubitet etiam Filliuc. hic cap. 7. ex praxi Sacræ Pæniten-tiariæ, ad quam in his casibus solet recurri.

Q U Æ S T I O II.

Quonam pacto Censura tollatur?

Examinabimus in hac quaestione; Primo, an possit aliter, quam per absolutionem tolli censura? Secundo, a quonam tolli possit? Tertio, quotupliciter absolutio detur? Quarto, quandonam absolutio valeat pro foro exteriori? Quinto, quanam sint requisita ad absolutionem, tam ex parte absolventis, quam ex parte absolvendi? Sexto, quanam forma, ritu, ac solemnitate absolutio conferatur? Ac demum expediemus paucis reliqua, quæ ad hanc absolutionem pertinent.

ARTICULUS I.

An unice per absolutionem tollatur censura?

- I. *Censura neque tollitur per obitum ferentis illam, neque per obitum, aut emendationem censurati; sed unice per absolutionem; quæ mortuis etiam conferatur, quamvis indirecte.*
- II. *Quando quis suspenditur ad tempus determinatum, puta per mensem, talis Suspendio non est proprie censura; cum non possit ea sic ferri.*
- III. *Qui excommunicatur, donec satisfecerit, præstita satisfactione, immunitus est a censura, quin tamen hæc dicatur tolli citra absolutionem.*

I. **Q**uæritur primo; An possit censura tolli non solum per absolutionem, sed etiam per mortem ferentis censuram, aut per mortem censurati, aut per satisfactionem datam parti læsæ, & emendationem delinquentis?

Respondeo cum communi apud Leand. disp. 2. quæst. 4., unice per absolutionem proprie, & perfecte tolli posse censuram; quod constat tum ex illo Matth. 16. *Quodcumque ligaveris, &c., & quodcumque solveris, &c., tum ex Cap. Cum desideres, de sententia excommunicat.*; tum demum a sufficienti partium enumeratione, cum censura nec per mortem ferentis illam, nec per mortem censurati, nec per terminationem causæ tollatur: ergo unice per absolutionem tollitur.

Et primo non tollitur censura per mortem ferentis illam, ut communi-
ter